Ordo ad Recipiendum Nouitios In Ordine Cisterciensi.

Juxta breuiarium novum Editum anno millesimo Sexcentesimo Sexagesimo quinto.

Qui Nouitius fieri Cupit, petat sic recipi. Ducatur in Capitulum et in terram prosternat se coram eo qui præest Capitulo qui Interrogabit Illum dicens. quid petis Et Ille Respondet. misericordiam Dei et ordinis. postea Jubebitur assurgere Et docebitur vt fert Regula et Cum Exutus fuerit Sæculari habitu ab eo qui præest Induetur vestibus Nouitiatus, id est tunica pallio et Caputio albis ut Sequens. Nouitius genuflectet coram præside qui Stans Cum Conuentu et stola ad Collum Benedicet vestes Dicens.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini ℟. Qui fecit Coelum et terram. ℣. ostende nobis domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum Da nobis. ℣. Domine Exaudi orationem meam ℟. et Clamor meus ad te veniat ℣. Dominus vobiscum ℟. Et Cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui sola tua Ineffabili pietate qua non minus suauiter quam sapienter vniuersa disponis. tandem vestium ad vsum hominum de vetteribus ouium produxisti :* vt trino beneficio simul ornarent fouerent et ab intemperie aëris corpora tuerentur ; immensam clementiæ tuæ largitatem suppliciter exoramus * ut hæc indumenta quæ præsens famulus tuus pro forma habitus Ordinis Cisterciensis, ad tibi in ipso ordine laudabiliter seruiendum intendit assumere. ita benedicere ✝ et sanctificare ✝ digneris * quod sint ei ad operimentum peccatorum suorum fortisq armatura ac tuta defensio contra aëreas potestates, et ignea hostis nequissimi tela et adiutorij triumphalis obtentum ? quibus perseuerando vsque in finem tandem immarcessibilis

gloriæ brauium dono tuæ gratiæ valeat adipisci, nec non ad
Coeleste Conuiuium Suauissimi Sponsi filij tui domini nostri
Jesu Christi perenniter regnaturus cum nuptiali veste
delectabiliter introduci. per Eundem Christum dominum
nostrum: ℟. amen. deinde aspergat aquâ bene-
dictâ Exuendo cum veste sæculari dicat Superior,
℣. Exuat te dominus veterem hominem cum actibus suis
Induendo cum habitu Regulari dicat ℣. induat te
dominus nouum Hominem qui secundum deum Creatus
est. in iustitia et sanctitate veritatis ℟. amen.
dum exuitur et induitur stat Conuentus et Cantor
Intonat canticum benedictus dominus deus Israel
in sexto tono solemniter quod Conuentus alternatim
prosequitur cum gloria patri quo peracto superior
dicit ℣. Saluum Fac seruum tuum: ℟. deus meus
sperantem in te ℣. mitte ei domine auxilium de sancto:
℟. et de Sion tuere eum ℣. domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus adte veniat ℣. dominus vobiscum.
℟. et cum spiritu tuo. Oremus.

Adesto, domine supplicationibus nostris et hunc
Famulum tuum N: benedicere ✝ digneris: Cui in tuo
nomine Habitum Religionis imponimus *vt / te lar-
giente] et deuotius in Ecclesia tua persistere: et
vitam percipere mereatur æternam. per Christum
dominum nostrum ℟. amen.

Si plures sunt induendi, omnia dicuntur in
plurali &c.